

Cant. Sic & te honoramus, ut verè Dei Genitricis scientes, quoniam totus honor impensus Matri procul dubio redundat in Filium. Georg. Nicomed. orat. de Præsentat. Tuâ gloriâ existimat esse propriam Filius tuus. Anselm. in Hom. de concep. Conceptionem Dominicæ Matris colere. Christi generationem est commemorare. Arnoldus Carnotensis de Laud. B. Virgin. Filii gloriam cum Matre non tam communitatem judico, quam eandem. Et manifestum est, individuum esse Matris & filii gloriam, & commune esse utriusque præconium. Proclus Serm. in Christi Nativ. Nullam inde Christus contrahit labem, quod intra viscera, quæ citra omnem dedecoris notam condiderat, inhabitat. Non est obscurum, S. Proclum docuisse, Christum tum in condenda Virgine, tum in Matre eligenda, dedecus & ignominiam propriam diligentissimè vitasse: quandoquidem sicut Matris honor, & gloria, sic etiam ejus ignominia & opprobrium in Filium omnino redundaret. Verè ex præcepto tam suo quam Matris honori consulit Christus, dum eam ab originali infamia immunem fecit.

2151 Explico hætenus dicta de hoc præcepto honorandi Matrem ex iis, quæ docet eximius Doctor P. Franc. Suarez tom. 1. in 3. p. disput. 43. sect. 2. dum mortem Christi D. ex præcepto obitam exponit. Positâ revelatione, quâ Christus ut homo noverat nullum homini superesse remedium ad salutem, nisi ipsius passionem, præcisò quovis novo Patris præcepto præceptum charitatis obligavit Christum ad passionem & mortem obendum, ut universum humanum genus redimeret. Probat; quia lex Charitatis obligat ad ponendam vitam corporalem pro salute proximi spiritali, & multo magis obligat ad ponendam illam pro salute spiritali universæ humanæ naturæ. Ergo, secundum ordinem Charitatis, illud bonum spirituale mundi corporali damno brevissimo Christi Domini præponi debuit. Hæc Suaris doctrina consentanea certè doctrinæ S. Anselmi lib. Cur Deus homo c. 8. & 9. Eiusmodi ego Theologiam ad B. Virginis præservationem haud ineptè videor mihi transferre; præsertim cum bonum hoc spirituale Dei Matris, quo gravissimo peccati malo eximeretur, longè majoris sit æstimationis, utpote infinitæ dignitatis, quam spirituale bonum totius mundi. Magis enim tenebatur Filius spiritali Matris incolumitati consulere, quam saluti hominum cæterorum; strictiori tenebatur obligatione Maternæ immunitati subvenire. Igitur ex præcepto altero, spiritali Matris immunitatis honestati providere tenebatur, quam gravissimè peccati originalis infamia læsisset, & cui, præter triduanæ mortis remedium, nullum sufficisset subsidium. Confirmatur; qui Christus plus Matrem dilexit, quam universam Ecclesiam, ut ex Augustino, Bonaventura, Anselmo, & Bernardino monstrat Suarez tom. 2. in 3. p. disput. 18. Sect. 4. conclu. 2.

2152 Aliunde etiam, hunc honorem Matri exhibere, omnem ignominiam à Matre longè arcere, tenebatur Christus; ex gratitudine nempe. Etenim quidquid Filius Matri debeat, ad gratitudinis obligationem refertur facta Scriptura. Ecclesiastici 7. 29. Honora Patrem tuum, & gemitus Matris tuæ ne obliviscaris; memento quod nisi per illos natus non fuisset, & retribue illis quomodo & illi tibi. Eandem rationem reddit Tobias filio, dum Tobia 4. 3. Matris illi honorem commendaret cap. 4. 3. Honorem habebis Matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ: memor enim esse debes quæ & quanta pericula passa sit pro te in utero suo. Porro Aristoteles, & ex illo S. Thomas, quos supra citavi, Parenti, sicut nec Deo, parem posse à filio referri gratiam, negant.

Hinc sapienter juxta ac piè S. Methodius Christus supra memoratus n. 2146. Filium Dei Matri suæ adhuc debere asserit, quantumcumque ipsam omni & honore & gratia cumulaverit. Cui consonat Theophilus Alexandrinus lib. de Incarnat. Verbi. Gaudet Filius orante Matre, & omnia, quæ nobis precibus Genitricis epistulis donat, ipsi Matri se dare putat, & accepta ab illa sine Patre, humanitatis vices reddere. Et Georg. Nicom. Orat. de Præsent. B. Mariæ. Filium tuam gloriam existimat esse propriam, & tanquam Filium, eâ exultans, quasi exolvens debitum, implet petitiones. Debitorem adhuc compellant Christum, quasi nunquam tantum rependat beneficium, quo ipsum talem, ac tantum Filium affecti.

Quantum Christus Matri suæ debeat, expeditur solide, & amantè.

2153 Uale verò ac quantum beneficium hoc? Neque enim commune cuiusvis Matris in quempiam Filium beneficium extitit, sed singulare, sed summum omnium. Principio, sola concepisse voluit quin viro partem cederet; id enim Angelo excepit, Matrem utique fore, modò Virginem vellet. Quidquid igitur Filius utrique debet Parenti, Patri nimirum, & Matri, quidquid officii in Filium inter se illi partiuntur, una peregit Mater Virgo: uti expendunt S. Anselmus lib. de excell. Virgin. cap. 4. & S. Bernardinus tom. 3. Ser. 1. de glorioso Namine Mariæ a. 1. c. 2. Inde S. Ildephonsus lib. de Virginitate S. Mariæ cap. 12. illam dicit solam fuisse opus Incarnationis: Procido coram te solum opus Incarnationis Dei mei: humilior coram te sola inventa Mater Domini mei. Solam dicit opus Incarnationis, quia ex ea sola sumpta est caro illa, cui Verbum unitum est. Secundò, eo ipso, quòd sine congressu virili concepisse voluit Filium Virgo purissima, eum concepisse voluit peccato originali liberum. Quod graviter expendit S. Tho. 3. p. q. 28. a. 1. rationes reddens, ob quas conveniens fuerit, ut fuerit Virgo in concipiendo. Et quidem Sancti Patres, cum de Christi innocentia agunt, inde rationem petunt, ob quam immunis omnino fuit à peccato originali, quia non ex congressu maris & feminae, sed ex Virgine natus sit. Sic S. Leo Papa Ser. 5. de Nativ. Solus inter filios hominum Dominus Jesus innocens natus est, quia solus sine carnalis concupiscentiæ pollutione conceptus. Similia habet Serm. 2. & 8. Perspicuè etiam S. Ildephonsus in libr. de Partur. Virgin. Mariæ. S. Augustin. libr. 5. contra Julianum cap. 15. & Epistol. ad Evodium 99. Beda in Luc. 1. Anselmus de conceptu Virgin. c. 20. Cum igitur voluntarius Mariæ consensus requisitus fuerit, quem illa eâ lege præstiterit, ut Virgo & conceptura esset, & paritura, hujusmodi quidem conditio id obtinuit, ut filius nec conciperetur ex congressu, nec ederetur ex corrup-

Georg. Nicomed. Angel.

Arnold. Carnot.

S. Proclus.

P. Suarez.

Præceptum Charitatis obligavit Christum, pati & mori pro hominum redemptione.

Inde deduco teneri Christum saluti Maternæ consuleri strictiori jure.

Tenebatur Christus ex gratitudine Matrem à peccati ignominia liberare.

corruptione; novo hoc otiginis titulo absque peccato originali conciperetur & ederetur, præter cæteras alias ejusdem immunitatis causas, quæ singulæ ad illam tuendam sufficissent, unio videlicet hypostatica, summaque beatitudo, &c. Debet ergo Matri Filius hanc etiâ partem nobilitatis eximiam: quod licet fingamur aliis immunitatis hujusce causis, rationibus, aut titulis caruisse, ex Materna certè origine nullam peccati labem, labisvè debitum contraxisset, quæ illos tantum Adami filios obstrangebatur, qui ex concubitu concepti communi essent corruptione progenerati.

2154 Tertiò, quòd summam beneficiorum omnium excedat: si hæc duo inter se comparentur: hominem effici Filium Dei naturalem, & mulierem effici Matrem Dei naturalem; longè majus atque excellentius beneficium est, hominem effici Filium Dei, quam Mulierem effici Matrem Dei. Atqui illud contulit Virgo Mater Filio, hoc Filius Matri. Majus igitur, atque excellentius beneficium est, quòd virgo præstitit Filio, quòd nulla reddita gratia rependerit Filius, quantumcumque illi retulerit Matris Dei dignitatem; quæ quidem in hoc genere infinita est. Porro quòd diximus, Virginem id dedisse Filio suo, ut esset scilicet filius Dei, dupliciter potest accipi; primò ut vera ac physica fuerit illius hominis Mater, qui est Dei Filius, quòd sufficit ut absolute verum sit, & propriè dicatur Mater Dei; nam actio illa, qua ipsum concepit, in totum suppositum ferebatur, ex utraque natura, humana & divina, coalescens. Secundò, ut Virgo Mater re vera produceret hypostaticam ipsam unionem, qua Humanitas divino Verbo conjuncta est, non ut præcipua causa productiva, sed instrumentaria elevata; proportionata tamen, ut per ejusmodi productionem Mater Dei propriè ac strictius conflueretur. Ea videlicet ratione, si fas est minima componere summis, qua Eva v. g. Mater Abelis dicitur, quia unionem corporis cum anima produxit, licet animam ipsam rationalem non procreaverit. Quòd autem B. Virgo unionem hypostaticam produceret, tribus rationibus poterat suaderi. Prima, quia sic strictius ac propriè dicitur Deum concepisse. Secunda, quia instrumentum erat accommodatum & propinquum effectui instituto: soletque Deus ex suavi providentia ad supernaturales instrumentarias actiones provehere interdum creaturas, quarum interest producendus effectus utpote ipsis proprius. Tertiò, id consentaneum est SS. Patrum locutionibus. Hesychius Hom. 2. de B. Virg. vocat ipsam Instrumentum Incarnationis. Ambros. Ep. 82. ait, Caro per Virginem juncta est Deo. Addo Epiphanium, qui Orat. de Laud. Virg. pressius aliquid promit. Ipsa est celi & terre mediatrix, quæ unionem naturaliter peregit. Quòd ait, naturaliter, perinde est, atque vera aliqua actione. Sententiam hanc probabilem ac piam Suarez appellat, licet non subscribat to. 1. in 3. p. disput. 10. sect. 1.

2155 Igitur cum Filius tantis se beneficiis prævideret per Matrem obstrictum, equis sibi persuadere possit, gratissimum Filium ulum prætermisisse gratitudinis officium, quò accepta posset Matri rependere? Certè Methodius ex eo debito omnem gratiam, & honorem Matri à Filio collatam fuisse docet. Similia habet S. Bernardinus to. 3. Ser. 11.

a. 2. c. 2. Atque eadem mente Richardus de S. Victore ser. de concep. B. Mar. in id Prov. 8. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram, cum Virginis etiam carnem peccato unquam obnoxiam negasset, hanc rationem ex gratitudine petitam subdit: Eritne ingratus propria Matri, qui Patri, & Matri honorem præcipit exhiberi? Cum enim præcepti illius ratio gratitudinis honestati nitatur, ut Filius Dei gratus in Matrem fuerit, oportuerit ut etiam carnem ab omni peccati veffligio incolumem præstiterit; quia scilicet purissimæ & immaculatissimæ animæ corpus erat, cujus munditiæ & sanctitati originariæ parem esse, fas erat.

2156 Et quidem, ut cætera omittam, hoc Filius debebat Matri, ut per ipsam steterit quòd eximio originis titulo, absque peccato fuerit originali conceptus. Ergo gratus Filius similem Matri gratiam retulit, & quidquid apud Patrem merendo valuit, id totum libenter contulit, ut Matrem à peccato etiam originali præmuniret, immunitatisque privilegium impetraret. Fallor, nisi in Scriptura haud leve aliquod hujusce Materni, ac Filialis hujusce mutui officii extat argumentum, Genes. 3. immunitatem Filii & Matris; ea tamen ratione, ut prius immunitatem Filii Matri attribuat, deinde immunitatem Matris Filio adscribat, quasi in Matrem grato. Immunitatem Filii attribuisse Matri visus est, dum illum semen vocat Mulieris, solius nempe, non viri, ut Patres explicant; ac proinde non nasciturum ex congressu, nec peccati ullius debitorem. At verò immunitatem Matris postea Filio adscribit, cum ait: Ipsa, ipse conteret caput tuum, quasi ipsa ex ipso, & cum ipsa ipse, & cum ipso ipsa. Gratus utique Filius, qui nosset ab illa sic progenitum, ut semen sit Virginis, non virile, nulloque proinde titulo peccati munifex. Alibi supra illum Genesis locum abundè elucidatum dedimus pro immunitate Mariana.

§. V.

Mariæ immunitas præclarissimum extat divina Sapientia opus.

2157 Non solum pulchræ dilectionis, de cori honoris, ac reverentiæ se Matrem appellat B. Virgo, sed agnitionis etiam, intelligentiæ, scientiæ, seu sapientiæ. Sic Filium suum nuncupat, dum in se omnem gratiam originariam quoque, resplendere autumat. Ex re quidem, cum Deiparæ ab originali labe immunitas opus sit divinæ sapientiæ præclarissimum. Sapientiæ enim est & causam superiorem cognoscere, & juxta illius rationes rem totam rectè praxi disponere, ut docet S. Thom. 2. 2. q. 45. a. 1. & 3. Fuit item id prudentiæ actus, quatenus ea virtutum moralium praxim moderatur, eodem auctore S. Tho. q. 47. a. 7. & 8. Et quidem divinæ Filii Sapientiæ, & prudentiæ fuisse Matris immunitatem prævidisse, docensuluisse, providisse, imperasse, meritò docent præstantissimi Theol. S. Anselm. præ cæteris in l. de Exor. Mundanæ salutis. Inscientiæ fuit Sapientia Dei mundum sibi habitaculum condere, remotâ omni labe conditionis humanæ? Quasi inscientiæ esset attribuendû, quæ sapientiæ opponeretur, si non vidisset, non consulisset, non dictasset, immuni-

Longè majus beneficium est, hominem fieri Filium Dei naturalem, quam Mulierem effici Matrem Dei.

Hesychi. S. Ambros. S. Epiphani.

Ex dictis concluditur Mariana immunitas. Methodi.

Richard. de S. Victo.

S. Anselm.

S. August. immunitatem & se, & Matrem decere. Quod idem est de prudentia iudicium, quae moralem virtutum actiones dirigit. Praeclarissimum virtutum actiones dirigit. Praeclarissimum virtutum actiones dirigit. Praeclarissimum virtutum actiones dirigit.

Prov. 9.1. Domum sibi edificabat Dei sapientia dum Mariam edificaret.

Photo.

Idiota.

Prior Angelorum gratia in Maria illustrata immobiliter.

Idem.

Maria domo solida & firma per justitiam originale.

In malevolam animam non intrat Dei Sapientia.

atum, obstrictumque sit peccato: nam in Graeco singulare est nomen peccati aquarias; ab uno enim peccato originali haec subjectio, quia actualium veluti debitores reddimur, perinde a quo obaerata primo scelere natura in vitium tranatur quasi aere hoc pessime obstricta. Utrumque sapiens complexus, & unum originale, & ex fomite relicto multiplex actualis, dixit, divinam Sapientiam nequaquam in homine sic animato mansuram. S. Thomas 3. p. q. 27. a. 4. hunc Sapientiae locum urget, ut efficiat, omnia actualia peccata, vel veniale etiam, omnino esse a Dei Matre removenda, cum in ea Sapientia Dei singulari modo habitaverit non solum in anima, sed etiam in corpore. Potuit ea ratio extendi ad originale, ac noster Lorinus. Potuit planè, eoque potuit efficacius, quò retriis, quò gravius est originis malum. Igitur à minori in hunc modum argumentum instruo: Ideò in malevolam, ac maleficam animam non intrat Sapientia, neque habitat in corpore subdito peccatis; quia neque idoneum ingressum, neque decorum esset tanti hospitis domesticum. Sed si Dei Mater originale peccatum contraxisset, malevola esset, ac malefica anima, corpusque haberet subditum peccatis, ac proinde ineptum Dei Filio, qui est Dei Sapientia, ingressum, indecorumque domesticum praestitisset. Ergo nequaquam in illam ingressa esset Sapientia, nequaquam in eius utero habitasset, nequaquam Dei Mater extitisset. Minor perspicue ostenditur: ipse enim Angelicus Doctor in qq. disputatis de Malo q. 5. a. 1. ad 9. ait, originale peccatum comparatum ad naturam esse gravius veniale, quia privata gratia, quod est majus bonum: quatenus verò comparatur personae, esse majus veniale, quia voluntarium. Certè si originale peccatum Maria contraxisset, revera quod Pater Adamus praeeptum transgrediendo voluit, nempe malum illud divino oppositum praeepto, idem Deipara eadem transgressione voluisset, eisque corpus peccati fomite accenso, actualibus plerisque peccatis pronum extitisset. Ergo & malevolam habuisset animam, peccatisque subditum corpus. Pro coronide nostrae explicationis sint Fulberti Carnotensis verba in Ser. de Nativ. Mariae. Hoc igitur in primis adstruere fas est, quod anima ipsius & caro, quam elegit, & habitaculum fecit Sapientia Dei Patris, ab omni malitia & immunditia purissima fuerunt; affirmante Scriptura, In malevolam animam non intrabit Sapientia, neque habitabit in corpore subdito peccatis. Haec satis pro illustrando Salomonis testimonio.

Si Dei Mater originale peccatum contraxisset, malevola esset anima.

Fulbertus Carnot.

2160 Inter alia Deiparae symbola ab originario vitio immunis, non infimum tenet locum Arca Testamenti Exod. 25. 10. Arcam de lignis setim compingite. Duos quoque Cherubim aureos facies. Cherub unus sit in latere uno, & alter in altero. Compacta dicitur ex lignis setim, vel, ut LXX. habent, ex lignis immutribilibus. Quid hoc? S. Bernardus locuples sit testis in Ser. de B. Maria. De lignis setim condita est Arca, in qua thuribulum, manna, & virga sunt recondita; quia licet Manna de Patrum natura per peccatum viriata duceret originè, praelecta tamen per Spiritu S. & preservata ad puru, Deum nobis obtulit, & hominem. Ita divinum decuit Verbum, Dei Filium, qui ex carne Matris Virginis carnem erat assumpu.

Hypopol.

Cherubinis hinc inde comitata, id est, multitudine divinae sapientia.

Theodot.

Si in culpa esset origi-nis conce-pta Deiva-ra, Christu ex ea nas-cens, non se ostenderet Dei sapientia & ratio.

S. Ansel. Taulerus.

ut ex lignis putrefactioni minime obnoxii, ex Genitrice nempe nulli unquam peccato subdita, ipse à peccato omnino liber produceretur, uti eleganter observat S. Hippolytus Martyr apud Theodoretum Dialogo 1. Dominus erat à peccato alienus, at qui ex lignis putrefactioni minime obnoxii quoad humanitatem attinet, nempe ex Virginis, & Spiritus Dei verbo. Ut verò pulchro symbolo faceret textus ostendat, divinam ipsam Sapientiam huic praestantissimo Marianae immunitatis operi incubuisse, Cherubim unum in latere uno Arcae, & alterum in altero collocatos admonet: Cherubim enim multitudinem scientiae significat: illam nempe summam Dei Sapientiam praeseferant, ac nomine ipso demonstrabant, quae in Mariae efformatione per Arcam designatae summo opere resplendeat.

2161 Dum de perpetua Deiparae virginitate ageret Theodorus in Hom. de Nativ. Salvatoris ad Patres Concilii Ephesini habità, sapienter dixit, Christum Dominum se ipsum rationem esse aperte demonstrasse in Maternae virginitatis asseratione & tutela. Quoniam natus est carnaliter Verbum Deus, custodit virginitatem, seipsum rationem ostendens. Quasi seipsum rationem & sapientiam non ostenderet, si ex Matre nasceretur violata; quod valde est Deo injurium. Sanè nobilior est animi, quam corporis integritas; mens & animus sola culpa violari possunt. Si ergo Maria originali peccato corrupta & violata fuit; nequaquam Verbum Deus, qui ex ea natus est, rationem & sapientiam seipsum demonstravit, non id se esse proderet, quod erat, nempe infinita Dei sapientia, & ratio. Ne hoc cogantur asserere, fatendum ingenuè erit, Virginis animum nullo unquam crimine corruptum, aut violatum, atque ita Verbum Deum Mariae Filium in prima Matris efformatione seipsum aeternam Dei rationem & sapientiam ostendisse. Si aliqua alicujus peccati macula conceptio ipsa corrupta fuit, fundamentum habitaculi sapientiae Dei non congruebat; aiebat S. Anselmus lib. de Exordio mundanae salutis. Et Taulerus Ser. in festo Purific. B. Mariae: Ne momento quidem temporis vel ira filia, vel vas immundum, vel Diabolo, sicut nos alii omnes, subjecta dominio fuit. Praevenit hoc enim Sapientia aeterna, nolens electissimum Templum suum aliquò labe aspergi.

S. VI.

Quid pro Deiparae immunitate subministrant illa Virginis verba: Ego Mater sanctae Spei.

2162 Statuimus supra, Mariam appellari Matrem sanctae Spei, id est, Christi Domini, qui est spes sancta nostra objectiva, effectiva, & meritoria; nam per illum speramus gratiam & gloriam, atque ejus visione beati. Sed loquamur hic signatim de saeculis ante Mariae & Christi adventum: spes sancta illa erat totius Universi, quia finis spei omnium hominum, qui per Christum expectabant redemptionem, omnes suas spes ad eum referentes, vota, suspiria, voces, lacrymas. Unde illud Jacob Genes. 49.10. Ipse erit expectatio gentium. LXX. in eum Genes sperabunt. Et ab Aggae appellatur desideratus cunctis gentibus c. 2. 7. Hebraicè, desiderium ardentissimum, inflammatissimumque cunctarum gentium. P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Deipara spes sancta totius universi.

Gen. 49. 10. Aggae. 2. 7.

Rem totam alius repeto.

2163 Atqui, certum est inter Theologos, quod S. Thomas 2. 2. q. 2. a. 7. docuit, Nobiliores Patriarchas, ab orbe condito, explicatè credere debuisse in Christum D. quatenus humani generis Redemptorem. Hoc autem credi divina fide, ut oportebat, absque Dei revelatione non potuit: facta igitur necessario jam fuerat hujusmodi divina revelatio. Neque verò illa esse potuit, quae extat Genes. 2. 23. Hoc nunc os ex ossibus meis, &c. nam ut Adamus tunc Christum & Mariam praecognoverit, cum tamen nondum peccasset, nequaquam illum, qua Redemptorem, tunc intellexit, sicut S. Thom. citatus edocuit, atque ex eo, aliisque Doctoribus declarat noster Suarez 3. p. q. 1. a. 3. in Commentario. Alia itaque opus fuit post peccatum divina revelatio, per quam Adamus à primo lapsu Christum quatenus Redemptorem cognosceret, eumque sperare primus Pater filios edoceret. Deinde hanc ipsam revelationem, utpote tam necessariam per pias nepotum manus ad Moysen usque transmissam, ab ipso accuratissima Generis prima Historia minime fuisse praetermissam, prudentis est existimare; praesertim cum diligentissimus Historicus minutiora fuerit scribendo persequutus. Cum ergo hanc Christi, quatenus Redemptoris, revelationem Moyses in primam Genes Historiam retulerit, rationis est asserere, eam eo loco, eoque tempore fuisse relatum, quo scilicet accidisset, nempe post primum hominis peccatum, in ipsis humani generis primordiis. Quod de Christo diximus, de Deipara Virgine similiter dicendum est, cum ipsa corporatum Deum genuerit in mundi salutem & redemptionem. Sicut enim aeterna Christi generatio absque aeterni Patris fide credi non potest, ita temporalis ejus nativitas ex Matre sine Patre, absque ejusdem Deiparae cognitione comparari nequit.

2164 Sanè utriusque extat praeclearissima revelatio in ipso Genes exordio à Moysè scriptis consignata; Christi venturi Redemptoris, & Mariae nascituae mediatoris, & redemptricis. Nam post Adami & Evae lapsum, sic Deus ad antiquum serpentem c. 3. 15. Gen. 3. 15. Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & semen tuum, & semen illius: ipsa conteret caput tuum. Insignis haec Mulier, Deipara Virgo est; illius autem semen, Christus Dominus, ex communi Patrum suffragio, quos retulit 1. p. hujus operis sect. 3. Unus hic audiendus S. Leo in Ser. de Nativ. Domini. Deus omnipotens, & clemens, cujus natura bonitas, cujus voluntas potentia, cujus opus misericordia est, statim ut nos Diabolica malignitas veneno sua mortificavit invidia, praedestinata renovandis mortalibus suis pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praesignavit, denunciavit serpenti, futurum semen Mulieris, quod noxii capitis elationem sua virtute contereret, Christum scilicet in carne venturum Deum hominemque signans, qui natus ex Virgine violatorem humanae propaginis incorrupta natiuitate dammaret. Et signatim de Virgine S. Maximus Taurinensis Episcopo. in Epist. ad Amicum aegrotum de viro perfecto. Ponam, inquit, inimicitias inter te, & Mulierem: illam utique Mulierem, quae Salvatore paruriat. Suscitabo Mulierem, quae repudiata facilitate credendi,

Habita Christi ne Deiparae cogitatio seu revelatio facta post peccatum. Gen. 2. 23.

Gen. 3. 15.

S. Leo.

S. Max. Taur.